



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. II. Magistratum Reipublicæ necessarium esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Qui adulatione gaudet, bonis consiliarius caret.

Adulator omnis est irrisor, quia principem vanum, & stultum putat.

Infamia adulationis.

Furiosa adulatio.

Adulatori cur nihil dandum.

Adulatores ridendi.

Percutienti.

Interdum occidendi.

adulatores politicorum firmamenta in pròptu semper adesse oportet. Nisi enim hoc discrimen animaduertant, etiam bonorum consilia auertent; Nam stulto principi, vel adulationibus inescato haud facile bona consilia dantur. Primum igitur est; Nolle laudari; Non omnino imprudenter Pescennius Niger, *Vnum se placere, mortuum laudari velle.* Alterum, si nondum hoc vitium animo excussum est, ita tamen proficere studeat, ut lubens vera audiat, & irrisoria encomia intelligere se, & detestari significet. Rideri autem se clare agnoscat. Si mala laudent; si vitia virtutum nomine pallient, si principis errorem admirentur. Si eubrius tuit; comitatem in cælum euehant. Excanduit magnanimitatem prædicant, & clementiam, quod non senuerit. Fefellit, prudentiam clamant. Tu crede magna cum scelera, ausurum, qui tuorum delictorum est studiosus laudator. Quis non miretur Dionysii Syracusani hominis versutissimi stultitiam, à quo Dionysio *κλῆρα* dicti sunt; quem cum cæcotentem cernerent adulatores, ipsi quoque cæcos se finxerunt, nam in postes, & parietes impingebant, & ad fercula ab ipso manu se duci gestiebant. Miseri illi, quibus tã fœdæ adulationis necessitatem tyrannis imposuit, miserunt us ille ipse qui se ira derideri volebat.

Deinde cognoscat irrisionem laudationibus, si vera bona maiore encomio prosequantur. Si ex homine Deum faciant. Qualis ille adulator, qui dixit:

*Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane,
Diuisum imperium cum Ioue Caesar habet.*

Tertio, si occasionem peccandi offerant. Alexander magnus ita viuebat, ut ab omnibus turpissimus haberetur, Eudæmonicus tamen assentator eius, ut illum *ἀναμάχτιλος*, & omnino omni culpa immunem ostenderet, monere solebat, ut eadem mali quippiam committeret. Ecce quam immane studium adulandi. Eo pertinet Anaxarchi adulatio, cum ius fas esse diceret, quæcunque rex faceret. Laert. l. 9. c. 10. Proditor est qui hæc suadet: nocere vult, qui confidentiam malorum principi infillat. Quarto, cum laudant, & petunt; nam finis ille solet esse canum aulicorum, qui cauda adulantur, dũ fructum proiciis, cum dederis, abeunt; si repetas, ringuntur. Nunquam dabis cum adulatio antecedit; nam tuæ superbiæ dedisse, non tibi arbitrabitur, cum ante dementandus illi fueris; quã dares; quod si humanius de te loquetur suo artificio, nõ tuæ munificenti gratias habebit.

§. 6. Aliud remedium est, ut palam ostendas tibi illos esse odio. itaq; verbis exagitantur, quemadmodum Alexander seuerus abiici, & cachinno excipi volebat: Generosius Ladislaus rex Poloniae, colaphis demulcebat, egregio elogio. *Percutientes me reperiunt.* Insigne exemplum etiã Vitellius edidit, occisio enim Galba, plures quã centum viginti libellos premia exposcentium, ob aliquam notabilem illa die operam, Vitellius postea inuenit, Ecce tibi assentatione nouo se principi venditantem. Quid vero Vitellius? omnes cõquiri & interfici iussit, non honore Galbæ, sed tradito principibus more, munimentum ad præfens, in posterum vltionem. Horum igitur tibi õ princeps odium inculcatum, magnum, constansque opto, his purgari tanquam illos tibi fidos fore credes, qui vel tuũ peccatum laudant, vel tui causã peccare sunt parati; qui philosophiam, politicam, iuris prudentiam, Theologiam voluntati tuæ attemperant. Vera audire affuece õ princeps, & hæc qualiacũq; animo reconde. Magnam spem recte factorum præbet, qui vera lubens audit. Nam τὸ κατὰ δαίμονα ὁρᾶν ἀληθείας ἐκγόρον.

Omne officium ex veritate nascitur.

CAPVT II.

Magistratum Reipublicæ necessarium esse.

§. 1. **R**еспублика sine iubendi & parædi ordine nulla esse potest, quemadmodum nec homo erit, nisi naturali ordine membra sibi mutuo connexa sint, atque apta inter sese, & reciproco se adiutorio influxuque sustentent. Sine magistratu igitur lex, vt dixi, inanima est, sed verè ille dixit:

Ἰσχυρὸν ὁ νόμος καὶ ἡ ἀρχὴ ἐξ ἑσ.

Fortis est lex, si principem habet. Nam tota legum congeries, sine hoc vinculo, & quasi cemento non nisi ruina est. Exempla domestica nobis hoc ostendunt; si abest à ludo frons seuera magistri, si patrem familias domo discississe norit seruuli, si nec vicariatum præstat cõsor, aut atriensis; omnia cõmutantur, in solentia vni reuerentia compressa mox sese exerit; quid in regno vbi non modo multi, sed crebro plurimi, aliquando omnes sunt mali: Quapropter vere Arist. l. 6. poli. c. 8. ἀρετὴ τῆς πόλεως καὶ ὁ νόμος ὁ δυνάτων οἰκείων καλὸς. & Cicero l. 3. de legibus, *opus esse magistratibus, quod sine illis ciuitas recte constitui non possit.* Quod adeo verum est, vt qui magistratui rebellant; sine alio id magistratu facere nequaquam possint. Imperium consulum, & nobilitatis recusant plebei Quirites, in montem Auentinum secedunt, sed agere nihil sine nouo magistratu contra veterem possunt, tribunos creant, & leges patribus imponunt. Tam est vero necessarius in Republica magistratus, vt melius sit esse malũ, quã nullum.

§. 2. Quod cum ita sit, non tamen desunt nostro sæculo, in quod execranda omnia confluxerunt, qui tam euidenti lumini naturæ, & experientia repugnare conati sint, omnemq; rerum ordinem scelerata opinione euertere. Olim quidem Donatista, licet ante ab Ecclesia ad imperatores appellassent, postea tamẽ omnem magistratus auctoritatem respuerunt. Nunc Libertini, & Anabaptista omnem Anarchia perturbationem inducunt. Libertini quidem, quod omnẽ legem, omne peccatum negent, à Deo enim fieri assentunt. Anabaptista magistratum Christianæ libertati aduersum esse fingunt.

Sed eos refutat sancta scriptura, quæ iubet omnem animam potestatibus sublimioribus subesse; quod non vellet, nisi potestates veller esse. Vocat eos *Διακόνους* ministros Dei, & *ἡγεγῶτες* dicit. Rom. 13. 4. 6. imo Deos. Deinde Matth. 22. 21. Iubet Cæsaris legibus, quamuis impii parere Christus Dominus, quod Paulus ad Tit. 3. 1. Petrus Epist. 1. ca. 2. 13. ex ore dominico acceptum prædicant. Idcirco Magistratus, & reges nutriti Ecclesiæ, & defensores vocantur, mittit eos Deus vt seruos, & ministros suos, Moysen, Iosue, Iephthe, Sampsonem, Samuelem, Dauidem, Salomonem, Asam, Iosaphat, Ezechiam, Maccabæos; Hæcenim testatur nobis Psal. 2. 11. Isa. 60. 3. Prou. 8. 15. Isa. 10. 5. Ierem. 27. 6. Dan. 2. 34. Nobis etiam commendat, vt pro illis oremus, 1. Tim. 2. 2. Contra Libertinos multi Theologi, & iurisperiti disputarunt, & totus eos mundus oppugnat. Quos tamen occulte defendunt, qui leges negant obligare conscientias subditorum, vt libro de legibus docui.

§. 3. Rationi etiam naturali id consentaneum est; nisi enim magistratus sit, nulli erit tota simul reipublica curæ, sed partes hinc inde tantum particulatim in vtilitatem paucorum administrantur. Quia vero magistratuũ, ac proinde omnis ordinis ac boni ocores, pacis perturbatores, latrociniorũ patroni, simplicibus obrepunt, & argutiis Rempub. euertere conantur, fraudes eorũ aperiendæ sunt. Neq; enim hodie desunt, qui agrestes aliqua commotione agitados in Dominos arma vertere hortentur. Nec timidius, quam Muntzerus agerent, si modo spes successus appateret. Quid vero adferri pro tam insigni paradoxo potest?

§. 4. Principio reges hoc modo oppugnant: Christus solus est in testamento nouo rex; indignum igitur Deo hominem

Reipublica sine magistratu.

Nulla pars Reipublicæ sine magistratu.

Oppugnari magistratus sine magistratu potest.

Perditi homines magistratum negant.

Totum aliud cui curæ sit necessarii.

minuere collegam adiungi. Οὐκ ἔστι δὲ πολλοὶ καὶ οὐκ ἓς. Non est bonus multorum dominatus, vnus Dominus esto. &c. βασιλεὺς, vnicus rex.

Idem tituli
Deo, & ho-
mini, sed
diuerso sen-
su dantur.

Quod si ea ratione regum eliminanda est pote-
stas, nihil obstat, quo minus etiam parentum hono-
re filii, & dominorum obsequia serui defugiant. Vnus
enim Deus, dicitur pater, & Dominus. Christus rex
est, sed rex μέγας, & πῶς, rex regum, & Dominus
dominantium, cui omnes pii reges parent, à quo om-
nes impii reges damnabuntur. Sacerdos ille est, nec
tamen aliorum sacerdotum sibi feruentium officia
sustulit. Sumptum est hoc argumētum à putidis Cal-
uiniānorū lacunis, qui sic ratiocinantur: Christus est
vnus pontifex, solus mediator, non ergo alius ponti-
fex aut mediator; nam ab his ad alia ex paritate ratio-
nis causa transfertur. Quod si inter eum, qui natura
rex est, officio & dignitate supremus pontifex, qui
mediator perfecte nos reconciliauit, preciumq; per-
soluit, & inter eos qui infinitis modis inferiores, pon-
tifices & mediatores vocantur, iā dudū lis nulla esset.

§. 5. Gen. 49. 10. aiunt, regnum politicum duraturum
vsque ad Christum, ideo & eo veniente sublatum, Christus e-
nim cum regnum offerretur fugit. Ioann. 6. & cum iudi-
care inter fratres rogaretur, iurisdictionem respuit. Luc.
12. 14. Quin expresse negauit regnum suum esse de hoc mundo,
& discipulis ambidue petentibus secularem potestatem non
sine iusta increpatione negauit.

Non omnia
Christi fa-
ctā nobis le-
gem impo-
nunt.

Eodem ex luto hæc etiam ficta sunt; contra Ecce-
lasticorum enim potestatem à primipilis sectariorū
dicta, eorum discipuli in secularem potestatem con-
tulerunt. Vtrique impie & seditiose. Non enim om-
nibus omnia Christi facta imitanda necessatio pro-
posita sunt. Caelibem vitam, pauperemque Christus
egit; nec tamen legem pauperatis, aut cœlibatus ex-
emplo Christi sibi impositam existimant, vel Li-
bertini, vel Anabaptistæ.

§. 6. Negant etiam vllum pium rempublicam suscipere,
aut regere posse, nam Iudicum 9. olea pinguedinem suam relin-
quere renuit, & vitis Ambrosia, vt inter ligna promoueatur; at
rhamnus regnum suscepit; Hinc satan est princeps mundi. Io-
an. 12. 3. & 16. 11.

Ex vno ty-
ranno non
est de omni
principe co-
gitandum.

Magna hæc est in reges pios iniuria; illa quæ de po-
pulo rebelli, & impio, crudelissimoque tyranno, tra-
ctum interfectore dicta sunt, omnibus magistratibus
imponere. Nec satan est rex alicuius Regni; sed rex
super omnes filios superbiæ, rex mundi, hoc est, cor-
poris impiorum. Non est ius in vllum, aut potestas
data diabolo, sed mala suadendo, bona dissuadendo
ius sibi viurpat. Hic etiam fructus de spurio stolone
nouæ hereseos pullulauit. Multa in principes Luth-
erus dixit: Aretius Caluiniānus imperio ornamenta à
diabolo afficta pronunciauit. Tam late quam Roma-
num patet imperium, persecutionem esse.

Libertas est
parere ma-
gistratibus.

Magistra-
tus totam
republicam
representat

§. 7. Denique libertatem prætendunt. Homo à
Deo liber creatus est; cur ergo seruitute regis premi-
tur? 1. Cor. 7. 23. Nolite fieri serui hominum. Et Rom. 13. 8.
nemini quicquam debeatis. Imperfectissimū est impositus ma-
gistratus; quia erant pueri, pedagogo indigentes, at Christianos
vinctio docet omnia. Non ergo obediendum magistra-
tui. Huc omnia illa tendunt, vt suo quisque viuat ar-
bitrio, nec sit noxiorum coercitio, nec iniuriarum
vindicta, quasi vero non summa sit libertas legitimo
magistratui, hoc est diuinæ ordinationi parere. Atq;
hæc initia fuere turbata p bella ciuilia, & discordias,
Europæ. Vidimus enim homines literis eruditos, &
qui pietatis & iustitiæ se aduocatos iactabant, qui
publicis scriptis, quod efferarum gentium est, manus
posse magistratibus afferri docuerunt. Quanto pru-
dentius, & paci, rationi, legibusque Dei conuenientius
Aristoteles censuit, eum, qui magistratui maledi-
xerit, grauius multandum, quod non tam in magi-
stratum deliquisse, quam in Rempublicam censere.

tur. Ius igitur audiendum, certoque statuendum est,
magistratum esse sacrosanctum, eique obtemperan-
dum. Omnem iniuriam illi irrogatam grauiorem esse.
Nam merito iniuriam omnem illatam magistratui
atrocem leges vocant. 1. lib. 47. tit. 10. l. 7. atrocem au-
tem iniuriam, aut personam, aut tempore, aut re ipsa, fieri. Labeo
ait. persona atrocior iniuria sit, vt cum magistratui, cum pa-
renti aut patrono fiat. Tempore, si ludis, & in conspectu, aut in
solitudine iniuria facta sit multum interesse ait, quia atrocior
est quæ in conspectu fiat. Re atrocem iniuriam haberi, Labeo
ait, puta si vulnus illatum, vel os alicui percussum.

iniuria o-
mnis in ma-
gistratu a-
trox est.

Causa ex naturali legi sumitur, quia honorem fun-
gularem magistratui omnes debent; deinde quia iu-
stitiæ minister est, ideoq; multorum offensiones sub-
ire necesse habet; quam ob causam eum Respublica
satellitio armavit. Deniq; eius auctoritate violata sa-
lus publica periclitatur.

Tutela ma-
gistratus est
ad remp.
pertinens.

Non igitur video, quomodo possit quisquam, nisi
cui ex perturbatione salus queritur, contra magistra-
tus insurgere, cum in veteri testamento sacerdotem
sacerdoti, regem regi succedere videat, & nunc vtrum-
que in aliud sacerdotium, regnumque translaturum.
Apud cæteras gentes iure communi, quod vocant
gentium, ius magistratum constituit. Deo tamen in-
terdum per se immediate presidet cōstituente, inter-
dum conuentu, & comitiis principum, aut populo-
rum. Vere Iren. l. 5. c. 24. Cuius iussu homines nascuntur;
huius iussu & reges constituuntur apti his, qui in illo tempore
ab illis regantur.

Atque hæc contra magistratus, & diuinæ ordina-
tionis contemptores. Non minus coercendi sunt ma-
gistratum adulatores, qui quidem aliqua regibus
debita, alia vā epopæa, & nimis sublimia concedunt.
Debita est illis obseruantia vera, amoris, & honorifi-
cæ opinionis testimonium. Fama enim regis & honor
ad Rempublicam tutandam necessarius est. Non ta-
men impiis regis malefacta probanda sunt. Nam Sa-
muel non nisi magnis precibus Saulis adductus eum
coram populo honorauit. Dignitas regis, & potestas
hoc postulat, ideoque maiestas principis maledicto
appetita, morte vindicatur. Deinde obediendum
est regibus, nisi scelera mandent. Debetur etiam regi
subsidiū: Non modo cum pecunia eget & milite,
sed etiam cum est in periculo. Quin etiam vita pro
principis persona, si illa publico malo periclitetur,
ponenda est. Huc pertinet, ne damno eum afficiant,
hostes ne adiuuent, non re, non consilio. Hæc, & his
connexa vere principi debentur. Alia adulatio adin-
uenit. Vt quicquid rex iusserit, ius, fas, sit. Omnia re-
gis esse. Vnius regimen, nempe Monarchicum solum
esse à natura, in cæteris vero à recto naturæ tramite
homines deuiaſſe; nec minus erraſſe, qui in humanis
optinatum, aut popularium induxerunt dominium,
quam qui in diuinis presbyterium. ita nouellus para-
fraster Guillemus Barret, libr. 1. de iure regis, cap. 1.
Qui error quamuis speculatiuus esse videatur, si ta-
men accipitur, omnia regna turbabit, vbicumque e-
nim fuerit alia species regiminis, acculatur Respubli-
ca, quod à lege naturali recesserit.

Magistra-
tus à Deo
est.

Regi subsi-
diū, &
defensio de-
betur.

Nouus adu-
lator regū.

§. 8. Verum omnium assentatorum ille ingenia
superauit, cum regibus, quos solos iure naturali re-
ctores concedit, tyrannidem liberam permittit. Nam
ius regis quod 1. Reg. cap. 8. à Samuele exponitur, ve-
rum esse iudicat, ita lib. 1. c. 1. Ius autem regis expresse, &
dedita opera à Samuele ponitur. 1. Reg. c. 8. ubi ipsum regnum
instituitur & auspiciatur. Neq; tyrannum aut regem iniquum
instruit vir Dei, vt temere Becanus cum Caluino, nam qua su-
se & explicare in eodem capite, à rege exigenda & à populo
habenda, subditis narrat, eadem posse regem iure principa-
li sibi adrogare & appropriare ipsi Sauli in cap. sequenti subin-
dicat, & cuius erunt optima quæque Israel, nonne tibi, &c. exponit.
quem tamen ad tyrannidem pellicere Prophetam voluisse

aut stegisse dicere, vel autumare nefas est. Neque satis aduer-
tisse videtur Becanus Regis ius, aut dignitatem, dum à Prophe-
ta concessa, illi regi negat, praesertim cum haec omnia, fere com-
muni consensu tam Theologorum, quam iureconsultorum
principi competere non sit ambiguum, & exiis, ut propheta, o-
ptima, modo iustum & aequum servetur, neque tyrannidem
sapere nisi gravamen sit immodicum. Quis enim negat Regi e-
quires, tribunos, centuriones & diversi generis famulos, tam
nobiles quam plebeios, & ut sumptibus subditorum saltem in
novo principatu alantur: item ut possit tributa, & vectigalia
nomine decimarum indicare, quibus eius dignitas sustentetur,
& publica impendia exoluantur. Quod autem ut ab ipsis libe-
rentur, Iudaos obnixepetitus praeclit Samuel, hic sensus est
cum senseritis regiam pompam vobis ob dicta onera fore (ut or-
dini convenit) gravem, me autem sine fastu (ut sacerdotem de-
cet) & sine sumptu praefecturam gessisse, neque in re minima
vobis incommodasse, tunc clamabit ad Deum, sed non exau-
diat vos, ratio est quia petistis vobis regem, qui pro dignitate
est sustinendus. Sed expendamus paucis si placet quae hic iuris
dicuntur regi & conferamus cum illis quae in imperiis & re-
gnis Christiana fide nobilitatis sine tyrannidis calumnia indi-
cantur, exiguntur. Primo ut habeat rex comitatum regalem,
nihil est magis decorum, aut ipsis famulis magis honorificum:
hinc enim secularium dignitatum origo, subor dinatio, & no-
minum distinctio.

Christiana
regna tri-
buta exi-
gunt.

Secundo quod calumnia maxime est obnoxium, agros ve-
stros, &c. dabit servis suis & servi regi alantur, sustententur,
iustum est, aequum est, ubi autem nihil est adespotum, & regnum
novo iure fundandum, necesse est, ut regio cederet, ius despoti-
cum, nisi sponte quod iustum sit, contraherent ipsi subditi. Tercio
segetes vestras addecimabit vice huius, pensiones praeliales no-
mine tributi solvantur, & in alia specie pro diversa regni ra-
tione non decimam sed octavam decemere principes non ana-
ri. Lex praestatione C. de vectigalibus. Et alicubi hisce nostris
temporibus ipsa decima nempe ex rebus venditis & permuta-
tis etiam annontis, alibi aliud, sed non minus imponitur vecti-
gal pro varietate regnorum, item portoria, padagia & id genus
alia, salvo interim iure fisci.

Quarto, servos & asinos vestros ponet in opere suo, &c. &
vos eritis eius servi, Huius genera sunt onera quae vocamus mu-
nera, eaq. pro ratione concessionis divinae sunt triplica; realia,
personalia, & mixta: Realia sunt obsequia quae principi praes-
tantur rebus subditorum ut iumentis, plaustris, &c. Persona-
lia quae per ipsas personas exhibentur, ut servire certis tempori-
bus in aula, vel alibi. Mixta sunt, quae utriusque constant ut cum
quis suo sumptu famulatur aut comitatur in itinere aut ad
militiam, &c.

Potes igitur in istis tyrannis vitari, & equitas servari, (&
servabitur semper) si regis indictionibus ista quatuor non de-
sint, si sit iusta causa imponendi, si sit vectigali proportionata, si
solutio sit cuiusque facultati adequata, ut pauperes non cogantur
plus conferre sortito, quam qui ditiores. Si ultra necessitatem
non prorogetur: neque dissentiant Theologi. Hac igitur omnia
licet humana lege sint decreta tamen iure divino sunt debita,
quia iure eodem potestas ordinatur, Vnde divini codices: Da-
te censum Caesari, reddite tributum, cui tributum, & vectiga-
lia cui vectigalia debentur.

Verum ius regis esse illud, non aequum, non con-
cessum, sed usurpatum, multa docent, & multi, non
solum Becanus, & Caluinus.

Samuel ty-
rannum non
regem de-
scribit.

Nos canem illum regium, novum Aristippum au-
lis adrepentem paulisper retrahamus.

§. 9. Primo. Verba ipsa ostendunt, non esse legiti-
mum ius, sed praeiudicium: sunt enim talia, quae tyranni-
cam rapacitatem demonstrant. Quamvis enim nos-
ter optime verterit ius regis, & id dicitur quod, non verum
tamen ius & aequum propheta iudicavit, sed quo rex
usurus esset. Est enim מַשְׁפָּט מַלְכִּי non modo ius, iudi-
cium, potestas, norma; sed mos, status, conditio, mo-
dus, specimen, crimen, poena. Sed verba audiamus:
v. 11. Et ait: מַשְׁפָּט הַמֶּלֶךְ הַזֶּה. Hoc erit ius,
status, conditio regis, qui imperaturus est vobis: Filios re-

stros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, &
praeiudicium quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos
& centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum,
& fabros armorum & currum suorum. Filias quoque vestras
faciet sibi vnguentarias & focarias, & panificas. Agros quoque
vestros, & vineas, & olieta optima tollet, & dabit servis suis.
Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, ut
det eunuchis & famulis suis. Servos etiam vestros, & ancillas,
& iuvenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Gre-
ges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi. Et clama-
bitis in die illa à facie regis vestri quem elegistis vobis: & non
exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem.

Non esse legitimum ius, clare nos Deus edocuit; Deus hoc
nam aliud ipse Deut. 17. praescripsit: Cum ingressus
fueris Terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Et posse
deris eam, habitaverisque in illa, & dixeris, constituam super me
regem, sicut habent omnes per circuitum nationes: eum consti-
tues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuo-
rum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non
sit frater tuus. Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit
sibi equos, nec reducet populum in Aegyptum, equitatus nume-
ro subleuatus, praesertim cum Dominus praeceperit vobis, ut ne-
quaquam amplius per eandem viam revertamini. Non habe-
bit uxores plurimas quae alliciant animum eius, neque argenti
& auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio re-
gni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine,
accipiens exemplar à sacerdotibus Leuitica tribus, & habebit
secum, legetque omnibus diebus vitae suae: ut discat timere Do-
minum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius,
quae in lege praeccepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiis
super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel fini-
stram, ut longo tempore regnet ipse, & filius eius super Israel.

Non multiplicabit sibi equos, necesse est enim ea
pompa vehementer populum gravari, quem admo-
dum etiam cum arario nimium indulgent; Deinde
ne plures uxores multiplicet, reginarum enim mul-
titudine, & luxus intolerabilis est subditis. Denique li-
brum legis leget, & servabit, at illo praescribitur, par-
simonia, fraternitatis caritas, inhibentur rapinae, quan-
tumvis iusta & speciosa praedandi vocabula accepe-
rint.

Quedam apertam tyrannidem indicant, vers. 17.
Et eritis ei servi. Et clamabitis in die illa à facie regis vestri,
quem elegistis vobis; & non exaudiet vos Dominus in die illa.
Clamor subditorum oppressorum, non bello, sed rapa-
citate regis, non iustum, & paternum principem,
bono affectu subditis tanquam filiis consulentem,
sed rigidum exactorem significat, qui de liberis ser-
vos efficiat, qui multis suorum cum lacrymis domi-
netur. Extremum malorum est servitus, at reges ve-
stri vobis ut servis valentur, vos autem sponte, cum li-
beri sitis Dominum vobis inducitis. Pompeium cum
necessitas in regis pueri potestatem, & senium ma-
num coniceret, non immemor fui, ipsum con-
gressum servitutis pacationem esse conquestus est.
Qui tyranni palatium subintrat, eius est servus, est liber ve-
nerit. Hoc autem tyrannicum esse nemo dubitat. Nec
loquitur more communi, quo orientalium alii, se ser-
vos appellabant, sed de dura illa, quam inuiti susti-
nebant.

Subditi re-
gum servi
non sunt.

Excusat tamen ius illud adulator. Equites, Tribu-
ni, centuriones, famuli habendi sunt. Non inficias imus
ita esse. Sed in Aristocratia, in regimine populari, haec
etiam necessaria erant; si bellum gerendum esset;
& in pace, ut ad bella parati essent; hic vero de pom-
pa loquitur, quae superuacua est, quaeque populis o-
nerosa. Mediocris non damnatur, quae maiestati, &
tutelae idonea: quae gravare non potest; nam fere ex
multis, leuibuscque teloneis colligi potest quod mo-
derationi sit esse.

Maiestas
subditi non
est oneri,
sed luxus.

De filiabus non excusat: cum tamen liberis virgi-
nes pro regiarum deliciarum administris accipere,
contra

contra ius sit. Ministerio liberarum utatur, si quæ velint, mercede, vel spe gratiæ operam impendere. De iniuria igitur, loquitur; alioqui tyrannis non est, & ne dum quidem in ministerio aularum homines vltro se offerentes, & præmia petentes occupari; hodie quoque ad ea aspirare plurimos docet experientia. Hic vero ingenuæ velut servæ accipiuntur, pro vnguentariis, & coquariis, & panificis, & illa acerbitate, ut ipsæ parenteque ipsarum clament à facie regis.

Aequum aut, ut servi regis alantur, ubi autem nihil est adesse, & regnum nouo iure fundandum, necesse est, ut regio cederet ius despoticum.

Familia principis sit moderata.

Regiam familiam ali, recta ratio, atque adeo iustitia suadet. Sed familia sit moderata, non nimis ampla nec preciose vestita, nec delicate enutritur. Non datur illi agri, oliueta, vinea optima, sed honorata merces; aut in vicem sine mercede regem custodiant.

Rex ne sit inuicibilis.

Quod si pro tutela regis, & dignitate conferre nolint subditi, non tamen priuatorum agros, aut vinea rapere poterit. Deinde si summæ potestati tanta ianua aperiat, finis rapiendi erit nullus. Quis dubitet Achab esse ideo punitum, quod vineam Naboth iniuncto Domino eripuit? Verum de sensu scripturæ disputamus. Propheta Samuel nequaquam minatur, fore, ut rex si dare recuset, quod iustum est, ipse sibi pareat. Neque enim Iudæi cum regem peterent more vicinarum gentium, iusta eius ornamenta negabant. Hæc autem pœna est, ut sciant regis adulatores, delatores, calumniatores, voluptatum inuētores provinciarum opibus lacerandos.

Decima Eunuchis flagitiose dantur.

Quarto. Decimas etiam licitas asserit, imo principes quosdam accepisse octauas, idque ius esse regni. Verum de iure decimarum alia est disputatio. Non est peccatum, sed omnino iustum, & secundum naturam, ut decimas & alia subsidia conferant, at vero hic decimæ nequissimis hominum Eunuchis dantur, & regni tam terribilis decimæ. Eunuchi maleuoli, auari, & cum ad dignationem principum peruenerunt, certa pestis Reipublicæ fuerunt; inter tot myriadas vix decem boni. In Iudæa veriti erant castrati, itaque exteri erant, qui decimis faginabantur.

Neque ad rem est, quod quatuor in his ad tyrannidem fugiendam proponit. 1. Ut sit iusta causa imponendi. 2. Si sit vtiq; proportionata. 3. Si solutio facultatibus adæquata. 4. Si vltra necessitatem non progetur. Verissima illa sunt, sed Spiritus S. de his loquitur, ob quæ clamabunt ad Deum, & seruierunt. At nemo clamabit si iuste, proportionate, pro facultatibus, in causa necessaria sint tributa danda. Hæc est bene constituta Reipublicæ salus. Nec grauati quicquam potuit, si medioctem regi aulam iustitaret Iudæa, quæ antea plurimos reges aluerat. Quæ vero belli tempore faciendi fuerunt, illa non minus à ducibus, & iudicibus exigi debuerunt. Quam vero sit in angustum redacta potestas regum, iustitia æqualisque demonstrat.

CAPVT III.

Magistratus duplex, Ecclesiasticus, Civilis.

Duplex natura duplici potestate regitur.

§. 1. Quæmodum anima, & corpore natura hominis constat, ita quoque duo principia sunt; quibus secundum naturam dirigitur, & in suos fines deducitur. Potestas politica, quam ad corporum salutem, pacem, vitæ honestatem naturalem Deus esse voluit; Deinde potestas spiritalis, quæ ad diuinam & supernaturalia animam attollit.

§. 2. Antiqua est æmulatio inter sacerdotium, & regnum. Multi regiam maiestatem admirati, vel adulati anteponunt sceptrum infusæ, sapientiores, potiores, & ab omni suspitione adulationis alieni sacerdotium præferunt. Magna sunt iura regum; In rege fons

est dignitatum, summa gloria imago. Et Cyrillus de recta in Christum fide. Illis dicitur *di estis, & filii excelsi omnes*. In folio Dei sedent, vindices sunt, & gladium portant, sunt Christi Domini, lumina Ecclesiæ, sacrosancti, & quæ plurima ad maiestatis humanæ firmitudinem maiestas æterna sanxit.

Maius est tamen sacerdotium regno; illi enim dictum est. *Quæcunq; solueritis super terram erunt soluta & in cælo, quæ ligaueritis super terram erunt ligata & in cælo*. Regem igitur soluet aut ligabit sacerdos, & ratum erit in cælo apud Deum, sacerdotis iudicium. Nec exemptos ea iurisdictione reges testatur sacerdos fortis, & iudicio boni regis laudatus. Ambrosius Antistes Mediolanensis. Neque negant illi, qui veteris sacerdotii dignitatem ad curiam, & diademaregium transfulerunt; nam sibi & Ecclesiis suis, quas ita appellat hanc potestatem arrogarunt, quæ de re agam, cum de magistratu politico disseram, nunc duplicis potestatis differentiam, & spiritalis eminentiam proponam.

§. 3. Discrimen sacra, & civilis potestatis primo in fine vtriusque cernitur. Ecclesiastici enim magistratus finis est; subditos ad pietatem, religionemque & supernaturalem felicitatem deducere, idque ex officio, & singulari obligatione. Politicus pacem, & publicam tranquillitatem spectat, virtutemque; moralem; quia tamē interdum ille Christianus est, omnia ista ad Dei gloriam, æternamque salutem referre debet. Quapropter summo studio potestates ille coniungendæ sunt; ut mutuo auxilio, ciues bonos efficiant. Hinc publicæ quieti per omnia consulit Ecclesiasticus; & quæ regioni obstant, ut blasphemias, Circi furores, theatri obcenitates, è medio tollet princeps.

Deinde diuersam etiam causam efficientem habent; Quamquam enim tam regnum, quam sacerdotium est à Deo, in ratione tamen collationis plerumque diuersitas est. Nam civilem iurisdictionem populus, seu vniuersa Reipublica confert, quod ius eam in paucis residet, à tota tamen republica pauci illud acceperunt. Sacerdotii ius maius est, & diuinus, quam ut à populo, vel principe conferatur; Ius civilis potestatis ex natura oritur, & in vnum, vel plures à republica determinatur; at in sacris antistitibus persona designatur ab hominibus, potestas à Deo confertur.

§. 4. Modo regendi, & mediis ad fines diuersos tendentibus differunt. Pontifex docendo, hortando, æterna præmia proponens à vitis auocat, & ad virtutem adducit. Imperator hæc quoque adhibet, sed magis imperio, quam monitione vitur. Ratio discriminis est, quia civilis potestas per se externa opera tantummodo spectat; Ecclesiastica animos, & internam pietatē adurget. Hinc pœnæ civiles feræ externæ sunt, ut infamia, exilium, mors; Ecclesiasticæ internæ pleaque, ut excommunicatio, irregularitas, quæ ad animos pertinet. Quamquam externas quoque adhibeat.

§. 5. Si civilis & spiritalis potestas inter se conferantur, quibusdā in rebus prærogatiuā habet civilis: simpliciter præstantior est spiritalis. Vtraque pars si contentio absit, facile inclarescit.

Civilis potestas quedam habet, quæ in sacram non cōueniunt. Quorum primum est maiestatis insignia, apparatusque, & satellitum multitudo, neque enim in probandus est Episcopus, nisi simul etiam princeps sit, si regio splendore procedat, aut principali.

Alterum est; Quod civile imperium in corpora, truncanda, trucidanda ius habet. Spiritale vero in pœnis corporum paternam correctionem excedere non potest. Occidere, mutilare, orquere, flagellis concidere, exilio plectere, carcere graui, & perpetuo mancipare ex se potestatem non habet. Hæc enim sunt opera gladii corporalis. Ita Gregorius Ioanni Episcopo Constantinopolitano lib. 2. Ep. 52. *Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene supplicium.*

ff

fraternitas

Sacerdotii regno bene ratius.

Externam, internamque pacem duplex potestas proponit tam habet.

Vtraque potestas vniuersa Reipublicam perficit.

Politica potestas à republica confertur, sacra à Deo.

Religio animos, politica externos mores format.

Civilis potestas quædam habet, quæ in sacram non cōueniunt.

Spiritalis potestas corripit citra supplicium.